DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO PRACTICA
PERTRACTANS
DIABETEM MELLITUM.

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
NEC NON
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM,
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ATQAE CHIRURGIAE
LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA ET CHIRURGIA
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS
IN
CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Joannes Oswaldus Bleyle,
Antarelatensis Rankovillanus,
Medicus castrensis.



In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die Mensis Aprilis anni MDCCCXXXIV.

VINDOBONAE.
TYPIS LEOPOLDI GRUND.
(Währingergasse Nr. 275.)

PERILLUSTRI CLARISSIMO

AC

DOCTISSIMO

DOMINO DOMINO

FRANCISCO XAV. DE WOCHER,

AB OBERLOCHAU ET HAUSEN,

MEDICINAE AC CHIRURGIAE DOCTORI; PROV. MEDICO PRIMARIO NOSOCOMII CIVILIS OENIPONTANI; CLINICI MEDICI ET ARTIS OBSTETRICIAE PROFESSORI SUPPLENTI IN CELEBERRIMA IBIDEM CAES. REGIA UNIVERSITATE FERDINANDEA.

VIRO

SCIENTIA, ARTE, HUMANITATE, CANDORE

BENEVOLENTIA INSIGNI

SUMMO BONARUM LITTERARUM

AESTUMATORI

FAUTORI SUO MAXIMO

PRIMOS HOSCE STUDII ACADEMICI FRUCTUS

IN

VENERATIONIS CULTUSQUE PERENNIS

TESTIMONIUM

SACRO SVULT

ET DEDICAT

devinctissimus
Auctor.

PRAEFATIO.

Diabetem mellitum, qua objectum dissertationis, propterea seligendum putavi, quod re ipsa jam satis est, ut summam medicorum attentionem in se convertat; ob sequelas autem morbum sistit gravissimum, qui hucusque a nullo laurea Doctoris decorato in Academia nostra celeberrima pertractatus fuit. In hoc opusculo, signa praeprimis pathognomonica, et causarum explicationem, auctorum heroum experientia, aevi innixus recentioris, adducere, et therapiam his correspondentem statuere cunctis quibus potui

viribus conatus sum. Ex operibus fine libelli citatis, sedulo collecta, eum in ordinem redegi, quem scolae nostrae genius eligere consuevit.

Propria experientia angustis adhuc quum sit circumscripta limitibus a Te, Lector benevole! indulgentiam et lenitatem peto.

Definitio diabetis in genere.

Sub diabete in genere intelligitur excedens se-et excretio urinae quantitate et qualitate a norma abludens, coexistentibus aliis se-et excretionibus — praecipue cutis et primarum viarum — aut iminutis aut plane sublatis, nec non turbis diversis ex longaeva humorum jactura sensim sensimque se explicantibus, concomitata.

Ut autem diabetem qua propriam morbi speciem a quolibet alio urinae secessu uberiori aut etiam qualitative alienato, qui saepe occurrit in affectionibus hystericis, hypochondricis, spasticis et rheumaticis; in febrium crisibus, in hydropis solutione, porro sub usu diureticorum etc. ut dico, diabetem a medicis practicis et scolis omni tempore sub nomine *veri*, *melliti*, cognitum et tractatum ab aliis morbis similibus rite distinguamus: *Sub hoc comprehendimus morbum, in continua et abnorme adaucta se-et excretione materiae nutritiae per urinam saporis et odoris mellei consistentem, unacum fame et siti inexplebili, atque tabe totius corporis conjunctum.*

Denominationes hujus morbi minus correspondentes sunt: Hydrops ad matulam; Diarrhoea urinosa; Urorrhoea diabetica; Phthisuria; Urophelma; Harnruhr; Honigruhr.

Symptomata et decursus.

Diabetis evolutioni prodromi saepe antecedunt ab aegris non raro haud aestimati, et a medicis ipsis neglecti, qui summa attentione digni debilitatem organorum digerentium et exaltatam vasorum resorbentium actionem exprimunt, uti: Lassitudo universalis; tensio et tractio juxta columnam vertebralem et suras; peculiaris animi morositas; taedium ad officia; ructus acidi; pyrosis; vomiturītiones imo ejectio materiae mucosae; saliva albida et spumans, interdum os humore privatum; ciborum appetentia vel normalis vel adaucta; sitis magna; tussis sicca spastica; urinae secessus jam copiosior, interdum involuntarius; calor in peripheria saepe adauctus, in visceribus contra frigoris et frigescentis quasi liquidi ex lumbis in vesicam descendentis sensatio; interdum glandulae diversae intumescentes et cutis impetiginibus obsita comprehenditur. Febris vero sub hoc stadio, quod ad menses usque perdurare potest, nulla adhuc observata est.

Morbus vero penitus explicatus sequentibus symptomatibus pathognomonicis sese manifestat:

Fame; Siti intensa; Insigni quantitate et qualitate urinae abnormis; Emaciatione corporis universali.

Ciborum appetentia insolite magna primum, ut nonnulli observarunt, hujus morbi symptoma sistit, interdum ad voracitatem morbosam usque

increscens, quin digestio et alvi excretio in principio turbata esset. Ciborum recusatio incipiens secundum *Reil* tamquam signum mortis instantis considerandum est.

Sitis morbosa saepe simul cum fame morbosa intrat, cum morbi incremento increscit, et breve ante obitum miserum librarum ferociter adhuc excruciat aegrum.

Cavum oris, quod memoratu dignum, sub inexplebili hac siti, potius medicamentis congruis ac potu qualicunque fallabili, raro exsiccatum invenitur. Aegri nonnunquam 40ta, 60ta imo ad 90ta librarum per diem avidissime ingurgitant, et exemplis constat, quod tales aegri, si eorum ardenti bibendi desiderio non subito satisfactum fuerit; in animi deliquia incidissent.

Secretio urinae anomala et quidem.

1. quoad quantitatem.

Copia lotii missi fere semper pondus ciborum et potulentorum ingestorum nec non ponderis jacturam, quam corpus eodem tempore patitur, excedit. Pauca solummodo exempla ostendunt, quantitatem urinae missae illam potus assumti tantum aequavisse, aut non attigisse. Huc referendi sunt casus, ubi aegri a 30ta, 40ta usque ad 100 librarum urinae inter 24 horas excreverint.

Ceterum observationes docent, lotium in genere sine molestiis et quidem tempore nocturno, post potulenta majore copia hausta, et post erro-

res diaeteticos commissos in largiori ac de die quantitate excerni.

Progrediente autem morbo hoc in tempore discrimen non amplius observatur, imo in ultimo morbi gradu indesinens fit profusio.

2. Gravissimum vero et ad diagnosim summopere neccessarium momentum sistit *qualitas urinae.*

Urina diabetica colorem monstrat varium, modo limpidum et pallidum, modo lactescentem turbidumque, plerumque vero ex flavo viridescentem.

Odor gratus acidulo-dulcis, nonnullis violas aliis juscula carnea redolens.

Sapor illi mellis diluti vel succi Betulae albae sponte effluentis similis.

Chemice considerata diabeticorum urina nitrogenio, ammonio, acido urico et benzoico salibusque phosphoricis plane caret. Residuum post evaporationem consistentiam saporem et odorem mellis inspissati aemulat, massamque crystallinam Mannae non absimilem repraesentat, quae datis conditionibus fermentationem spirituosam et acidam inire valet, qua durante gas acidi carbonici in larga explicatur quantitate.

Sed et alias massa ista residua adhuc sacchari proprietates monstrat chemicas.

Solvitur nempe facile in aqua, ex qua solutione crystalli lucrantur saccharini. Sub combustione odorem spargit sacchari usti, et alcohol colorem in flavum mutat, dum residuum urinae sanorum

evaporatae comburendo urinam redolet, alcohol vero nigro colore praegnat.

Porro residuum istud nec acido sulphurico, nec alcaliis fixis alienatur; nitras Hydrargyri in urina diabeticorum sedimentum album, in urina sanorum rosaceum efficit.

Quantitas materiae saccharinae in diversis diabeticorum urinis a drachmis duabus in libra ad unciam variat.

Corporis emaciatio. Secretionem urinae hancce largiorem mox sequitur virium jactura et corporis emaciatio. Aeger difficulter movet corporis molem et modo strato se adjungit socius indissolubilis. Corporis consumptio quotidie increscit, accedit febris hectica et functionum quoque mentalium languor cum sensuum externorum hebete sese associant.

Alia adhuc praeter haec enumerata, sed minus constantia in decursu diabetem mellitum concomitantur symptomata: Gingiva rubet, dentes ab acido stupent et vaccillant; lingua albida in margine laete rubra cernitur; mucus ejicitur copiosus, albus, tenax, saporis fatui dulcescentis.

Somnus modo bibendi, modo mingendi disiderio interrumpitur; vox est rauca et debilis. Respiratio quidquam citata cum ardoris sensu in pectore; abdomen rugosum, corpus extenuatum, musculi flaccidi fiunt; sentitur ardor in visceribus cum morbo increscens, interdum dolores in renibus aegrum excruciant; cutis sicca, scabra squam-

mis nonnunquam et lichenibus obsita, caloris non raro mordacis; exhalationis functio ejusdem plane deleta, resorptione saepe supra normam vigente; alvus plerumque spissa et segnis. Pulsus vero aequalis, pluries tardus quam acceleratus, debilis, mollis, parvus.

Masculi nisum in sexum sequiorem in exordio morbi statim ammittunt. Interdum praeputium intumescit, glans materiam secernit caseosam non raro partes vicinas corrodentem. Femellae saepe dolores accusant pungentes in et circa urethram, praesertim sub urinae fluxu.

Ad finem morbi passio systematis nervosi magis magisque caput extollit suum.

Indifferentia summa, deliria, paralyses, amaurosis, surditas, syncope et convulsiones praesto sunt; tandem autem febris hectica cum periculosis suis sociis, oedemate pedum, hydropis speciebus diversis et diarrhoeis colliquativis tristem claudit scenam.

Decursus diabetis saepe per annos protrahitur, remissiones, etiam intermissiones cum typo quotidiano, octano imo menstruo non raro celebrans. Sed etiam et quidem ab *Dobson* decursus acutus ab una ad quinque hebdomadas observatus est.

Sectio cadaverum.

Ex cadaverum autopsia a pluribus instituta hucusque ratio morbi sufficiens nondum eruta est,

cum alii nec ullum, alii vero talia solummodo detexissent vitia organica, quae indolem hujus morbi enubilare nequaquam valent; uti sunt:

In cavo cranii serum flavescens inter meningem duram et arachnoideam, interdum sanguis coagulatus in sulcis cerebri.

In cavo oris defectus plurium dentium, imo alveolus ad magnam partem resorptus.

In cavo thoracis aliquoties sanguis in corde et vasis majoribus crassus parva quantitate repertus est. Cavum abdominis jam vestigiis morbi ditius; infarctus nimirum et obstructiones glandularum meseraicarum, hepatis lienisque continebat; porro calculos in renibus et ulcera; renes modo morbose adauctos, relaxatos, flaccidos, porosos; modo uti et uretheres plane consumtos; alias membranes eorum uti et vesicae urinariae incrassatas. Pelvis renalis saepe eximie dilatata, et materia puriformi impleta. Tela cellulosa et musculi totius corporis collapsi et discolores, ossa saepe emollita sese monstraverunt.

Sed et sanguinem diversa ratione alteratum autopsia et scrutinia penitiora detexere. Sic *P. Frank* et *Dobson* eum coloris lactei et dulcis saporis animadvertebant; *Michaelis*, qui idem invenisse affirmat, sanguinemque nec in diversis vasorum regionibus, neque in corde ipso cum chylo exacte mixtum reperiit.

Hae vero organorum mutationes post mortem observatae *proximam* diabetis melliti causam suffi-

cienter non demonstrant, potius autem qua causae disponentes, uti: indurationes organorum abdominalium; vel qua causae excitantes; uti: indurationes, calculi et ulcera renum; vel denique qua effectus hujus morbi protracti considerari possunt, uti: relaxatio, dilatatio et tabes renum, atque uretherum.

Morbi similes.

Dantur morbi, unum aut alterum diabetis melliti symptoma agnoscentes, qui, licet medicum, imaginem depictam rite in mente volventem diagnosim struendo vix turbare possint; attamen hic locorum pro clariori discrimine breviter exponendi veniunt. Et quidem,

1. Enuresis. In hoc morbo urina saepius quam sub statu sano, et in majori morbi gradu prorsus involuntario modo ininterrupte defluit, dum in diabete aegri lotium per certum temporis spatium retinere possunt. Urina porro in enuresi neque quoad quantum neque quoad quale a norma declinat. Deficiunt fames et sitis morbosa, istaque in diabete semper contingens corporis emaciatio.
2. Urina critica in morbis acutis et hydrope in majore quidem quantitate, etiam qualitative mutata, sed semper cum levamine aegri secedit.
3. Tali quoque ratione interpretanda est uberior se- et excretio urinae sub insultibus artriticis, hystericis, hypochondricis, ubi praesentia horum

morborum, et absentia reliquorum diabetis symptomatum omne dubium mox arcebit.

4. In *lienteria urinali* a multis recentioribus dubitata potus assumtus celerrime et imutatus fere per vias uropoeticas excernitur; hic autem quantitas urinae potum ingestum nunquam superans, uti et defectus principii mellei distinctionem a diabete sat perspicuam perhibent.

5. *Chyluria* vel coeliaca urinalis, quae in frequenti et copiosa urinae chylosae trajectione consistit, maximam adhuc cum diabete, ceu morbo materiam nutriciam corpori evehenti, analogiam ad se vindicaret, nisi ejus existentia a celeber. *P. Frank* et aliis in dubium vocata, et potius pro secretione urinae, pure aut muco, morbis ulcerosis et blennorrhoicis organorum uropoeticorum productis, impraegnata habita fuisset. Etsi chyluria qua talis existeret, attamen quantitate et qualitate urinae missae a diabete mellito sat clare distingueretur.

6. Diabetes insipidus certam quidem diabetis veri speciem sistit, et secundum *Dobson* etiam in mellitum transire valet; nihilominus tamen, carens principio saccharino, diffcile cum ulteriori commutaretur.

7. *Dipsacus* semper symptoma morborum aliorum: synochae, inflammationum organorum abdominalium aut hydropis sistit; nil autem quam sitim effrenem cum diabete par habet.

Divisio diabetis.

Juxta diversa divisionis principia diabetes in varias species distinctus fuit.

Prima et momentosissima, quae morbum hic tractatum ab omnibus similibus maxima ex parte huc non pertinentibus discernit est in *verum* et *spurium*; Diabetes verus iterum discedit in *melitum* et *insipidum* quorum ulterior excepto principio saccharino in lotio, ceterum omnes diabetis veri proprietates pathognomonicas in se recludit.

P. Frank urinam in D. insipido fortius illa, in diabete mellito excreta, animalisatam putat.

Dobson et *Henke* discrimen non aliud quam in gradu inter ambos concedunt, quum in diabete insipido assimilationis et nutritionis processus nondum eo gradu prostratus sit, qui sacchari formationi faveret.

Sub diabete spurio secretiones urinae solito majores omnis generis comprehenduntur, quae massam ingestorum non superant, materia saccharina carent, neque corpus aegri emaciant.

Altera divisio, a charactere morbi desumpta distinguit inter diabetem *spasticum* et *torpidum*. Secundum hanc, abnormis se-et excretio urinae in diabete spastico originem suum statui virium erethistico deberet, dum diabetes torpidus ex atonia et renum paralysi produceretur.

Haase has duas species non sejungit, potinus

quemvis diabetem in morbi principio spasticum, i. e. irritabilitate aucta conjunctum, in ultimis morbi stadiis autem torpidum esse contendendo.

Aliae adhuc divisiones minus celebratae sunt: juxta decursum in *lentius* aut *celerius* decurrentem.

Secundum conjunctionem cum aliis morbis in *simplicem* et *comitatum*. Simplex, id est, a data causa *solus* exortus raro occurrit. Longe pluries cum aliis morbis conjunctus; uti sunt: nevroses, hypochondria, hysteria, arthritis, rheuma, status atrabilaris, hemorrhoides, scrophulae, impetigines, viscerum abdominalium phisconiae, hydropes et phthyses diversae, calculi renales et vesicales, quorum nonnulli qua causa, alii vero qua effectus considerandi sunt.

Etiam in *continuum*, *remittentem* et *intermittentem* a nonnullis divisus est. Remissiones ortum suum ducunt ab urinae excretione tempore nocturno aucta, et ab exasperatis simul reliquis sub noctem symptomatibus, nec non etiam ab intercurrenti; huic morbo solenni, pro tempore levamine. Typus vero prorsus intermittens, de quo jam in decursu morbi sermo erat, a pluribus observatus, forsan majore jure morbis concomitantibus periodicis: arthritidi, hypochondriae, hysteriae etc., quam diabeti vero debetur.

P. Frank de peculiari adhuc diabetis specie mentionem facit, quem *diab. decipientem* appellat, in quo parum urinae, sed conditionis dulcis simul cum materiae organicae jactura, tabe lenta et aliis

adhuc diabetis melliti signis in certum aegri detrimentum excernitur.

Aetiologia.

Medici quidem omnis aevi ingenio sagacissimo occultam diabetis causam proximam indagantes, hypothesium numerum auxerunt solummodo, quin rationem ultimam, ad explicanda omnia hujus morbi symptomata sufficientem et idoneam ex tenebris profundis evolvissent.

Nonnulli veterum medicorum causam proximam infarctui hepatis et reliquorum organorum in abdomine adscribunt, in cujus sequelam inepta bilis secretio ac digestionis labes produceretur, chylusque parum elaboratus ad renes deportaretur.

Darvin motum vasorum lymphaticorum inversum a ducto thoracico ad renes nempe assumit, quo fit ut chylus immediate et brevissima via ad renes devehatur aut etiam fluida ingesta per vasa propria ex ventriculo ad renes transvehi existimat. Sed unde copia fluidi excreti major quam assumti? Unde qualitas lotii peculiaris?

Kausch questionem priorem eo sublatam esse opinatur, ut cutis functionem absorbentem, deleta exhalante, valde auctam supponat.

R. A. Vogel renes morbose irritatos aut spastice affectos, aut vasórum renalium atoniam accusat; etiam haec opinio secretionem uberiorem, non vero alterum momentum pathalogicum, sacchari formationem explicat.

Secundum P. Frank in diabete, analoge cum hydrophobia venenum producitur in organismo, vasa absorbentia totius corporis fortiter irritans et ad functionem suam impellens.

Rollo causam diabetis intimam in actione ventriculi morbose aucta, et in superfluo succi gastrici quaerit, quo mediante ex nutrimentis vegetabilibus materia saccharina formetur, quae per renes qua talis excernatur. Copiam vero urinae excedentem eidem ventriculi actioni exaltatae, consensualiter vero ad renes distributae adscribit. Haec sententia utique causam in se volvit remotiorem, nequaquam vero intimam virium sub hoc processu morboso mutationem explicat. Quaenam autem est ratio ultima secretionis succi gastrici superfluae? quomodo lotii quantitas, ingesta superans, quomodo sacchari formatio per hanc theoriam interpretanda?

Haase ad diabetis melliti originem ex omni parte explicandam in re adeo obscura neque leges dynamicas, neque principia chemica solum sufficere optime perspiciens, ambo momenta, dynamicum nimirum et chemicum in perscrutanda diabetis melliti natura magna cum sagacitate consideravit.

Quaestiones ad hocce thema solvendum sunt sequentes: Unde tanta urinae copia, potulenta et nutrimenta, imo totius corporis pondus non raro praeponderans? Cur diabetici fame et siti satisfacientes tamen macie consumuntur? Unde saccharum in organismi humoribus et urina contentum suum repetit ortum? Et quomodo istud formatur?

Ad has quaestiones rite solvendas autor relatus morbum a germine per totum decursum ad finem usque observavit sequenti ratione:

Ab hoc malo saepissime corripiuntur viri praesertim obstructionibus viscerum abdominalium hepatis et lienis laborantes, quibus turbatis functionibus, consentientibus omnibus physiologis humorum desoxydatio, secretioni succi gastrici oxygenio abundantis opposita, impeditur. Hepate et liene impeditis succus gastricus et entericus hyperoxydatus jam in prodromorum stadio et per totum morbi decursum pyrosim, ructus acidos, vomitum materiae acidae causat, exseritque simul effectum oxydantem et irritantem ad reliquum organismum quo iterum plura symptomata explicantur, uti ejectio muci tenacis, albi; lingua albicans, rubris marginibus cincta; gingiva rubra; dentes stupentes et vaccillantes; urinae fermentatio spirituosa et accida. Effectus succi gastrici hyperoxydati dynamicus promovet atque auget vasorum resorbentium et systematis gangliorum activitatem sese manifestantem per famis et sitis excessum, auctam cutis et pulmonum resorptionem, glandulas lymphaticas tumentes et varias impetigines; per secretionem in renibus uberiorem, spasmos abdominales, motus musculorum spasticos, pervigilia, inquietudinem, morositatem, denique per cutis indolem spasticam, siccam, arridam.

Hucusque diabetes characterem mere dynamicum gerebat, mere insipidus fuit, et sanationi

radicali nondum inexorabilis in hoc morbi stadio obstrepit.

Unde autem saccharum in urina et organismi humoribus?

Testibus clarissimis in arte chemica viris vegetabilia amylum continentia in connubio cum acidis et sub certo caloris gradu saccharum reddere constat. Sic docent experimenta a *Kirchhof* cum amylo et acido sulphurico diluto instituta, quae postea *Schrader*, *Doebereiner* et alii comprobata inveniebant.

Experientia constat, diabetem magis homines pauperes, ex regno vegetabilium nutrimenta quaerentes, infirmis digestionis et assimilationis organis praeditos, hinc majori amyli copia infarctos, et intèr divites istos invadere, qui laute vivendo ventriculum potulentis spirituosis omnis generis, cibis aromaticis, saccharo conditis supra modum adimplent. Acidum primarum viarum, amyli major copia, insignis dein ventriculi calor momenta et summe necessarias ad sacchari formationem conditiones sistunt. Productum hujus chemici in oeconomia nostra processus a vasis absorbentibus susceptum, partim ob debilitatem, partim ob continuum accesum novum ejusque copiam in propriam materiam animalem non mutatum, chylo adducitur, qui tunc materia hac saccharina scatens ad sanguinem defertur; sanguis autem ad omnem hanc materiam mellitam assimilandam quoque impar, vasis renum adfertur, ex quo per propriam il-

lorum activitatem, sub ipso hoc morbo certe auctam haec materia mellita secernitur et per urinam excernitur.

Principium saccharinum in diabeticis jam in sanguine contentum, et ejus formationem non qua renum productum, sed tamquam totius reproductionis opus considerandam esse, satis comprobant saliva dulcis, sputorum, materiae per vomitum ejectae, sanguinis, nec non ejusdem seri conditio mellea. Magis vero res eo inclarescit exemplo, quod *Vetter* adducit, qui in juvene 18 annorum diabete defuncto renum loco duas insignes vesicas urina repletas, per varia dissepimenta in plura loculamenta divisas absque omni renum substantia invenit. Unde ergo urina absque propria renum substantia ortum suum duxisset, si non in sanguine jam formata existeret, et per renes solum excerneretur.

Ultimum morbi symptoma, corporis emaciatio universalis in excedenti resorptione et continua materiae organicae jactura cum insufficiente restauratione radicari, ad amussim perspicitur.

Causae diabetis remotiores.

A. *Causae praedisponentes.*

1. Aetas media et provectior, praesertim ad diabetem mellitum, aetas infantilis sub dentitione, sed rarius et potius ad diabetem insipidum prona, experientia teste animadvertitur.

2. Sexus masculinus hujus morbi genesi magis quam sequior favet.

3. Constitutio et habitus discrimen in dispositione ad hunc morbum vix obferunt, attamen juxta alios saepius in individuis occurrit lymphaticis, pastosis, scrophulosis.

4. Gravius vero momentum praedisponens in vitae ratione offendimus. Excessus in Venere et Baccho, onania, nimii corporis et animi labores, animi pathemata deprimentia, vita nimis lauta eique opposita inopia; vegetabilium farinosorum, sacchari, fructuum horreorum acidorum, potuum spirituosorum abusus; vita sedentaria, habitacula humida, subterranea.

5. Etiam dispositio datur haereditaria, si exemplis medicorum, qui plura unius familiae membra hoc morbo correpta afferunt, fidem habere volumus.

6. Denique existunt morbi, qui aut praegressi, aut persistentes adhuc, directo aut indirecto modo debilitatem virium vitalium et reproductionis labem inducunt, atque tali ratione hujus morbi genesi ansam praebent, uti: febris gastricae diversae, nervosa, putrida; phisconiae organorum abdominalium; rheumatimus; arthritis; hysteria; hypochondria; scrophulosis; scorbutus; helminthiasis; ulcera intempestive clausa; impetigines retrogradae; fluxus haemorrhoidalis et menstruus suppressus.

Indoles hujus morbi contagiosa exemplis hucusque nondum comprabata est.

B. *Causae excitantes.*

Huc omnes istae referuntur potentiae nocivae quae vim reproductivam qualicumque ratione debilitando, renum vero functionem propriam incitando, data praedispositione morbum producere valent; quae iterum discedunt in *locales* et *universales.*

1. Locales et quidem.

a) Idiopaticae esse possunt:

Omnes laesiones mechanicae in regione lumborum; calculi renales et vesicales; abscessus, exulcerationes, indurationes substantiae renum eorumque vasorum dilatatio.

b) Sympaticae:

Causae sympaticae diabetem provocantes pro maxima parte jam inter morbos praedisponentes enumeratos, digestionis, assimilationis et nutritionis opus turbantes, aut secretionem vicariam statuentes, quaerendae sunt.

2. Universales.

Tales sunt: refrigerium, humida calidaque aëris constitutio; caelum nubibus continuo obvelatum; pluviae nimiae; humorum nobilium jactura; animi pathemata deprimentia: timor, terror, moeror etc., motus corporis inprimis fortiter equitando nimius; coitus justo frequentius et impetuose celebratus, abusus denique diureticorum, uti: asparagi petroselini, juniperi, cepae, alii sativi, vini aciduli, cerevisiae non bene fermentatae, aquarum mineralium, cantharidum et balsamorum.

Terminationes.

In sanitatem. Raro quidem; si vero regimine congruo et justo tractamine vis naturae, inte-

gritatem sui omni vitae momento servare nitens, ex ambigua hac cum hosti admodum feroci lucta victrix procedit: symptomatum gravitas sensim imminuitur, cutis sicca et arrida humescere, fames sitisque insatiabilis sollicitatoribus tandem suis plus minus falli incipit; urina parcius fluit conditionemque morbosam sensim amittit, et latericium ponit sedimentum.

In morbos alios. Hi plerumque sunt: status organismi cachecticus; dilatationes vasorum renalium persistentes; intumescentiae glandularum meseraricarum; phthysis pulmonum pituitosa, hepatis, lienis et renum.

In mortem aut febri hectica rapide vires consumenti, aut morbis posthumis.

Prognosis.

Quisquis ex una parte indolem diabetis nondum satis dilucidatam ejusdem cum aliis morbis difficile aut plane non sanabilibus commitationem considerat; quisquis ex altera parte magnitudinem et extensitatem — cum omnes totius systematis reproductivi processus: digestio, chymificatio, chylificatio, assimilatio, nutritio se-et excretiones eminenter et gravissime turbati jaceant — rite perpenderit; eum certe non fallet, diabetem ad gravissimas et pertinacissimas morborum species pertinere.

Ceterum secundum plurimorum observationes eo infelicior in genere praesagiendus est eventus, quo provectior jam aetas et quo major subjecti debilitas ex potuum spirituosorum et Veneris abusu.

Memoratu quoque dignum experientia perhi-

bet testimonium, cessanti uno aut pluribus morbi symptomatibus in decursu non credendum, imo tum primum sanationi radicali fidem esse habendam, quam omnia signa pathognomonica penitus et constanter evanuerint.

Ex recentissimorum vero medicorum meliori de morbi indole cognitione et ex progressu, quem observationes circa hunc morbum non adeo saepe occurentem in eruenda proxima ejus causa cum sagacitate et sedulo studio institutae et instituendae in posterum promittunt: grata omnino nobis affulget spes, fore ut in futurum ad aegrorum et medicorum solatium therapia quoque tutiori huic hosti hucusque admodum rebelli certior inferatur clades.

T h e r a p i a.

Diabetes mellitus, uti reliqui morbi graviores, quorum natura nondum satis perspecta, tot gaudet medendi methodis, quot sententiae circa ejus indolem existunt. Hodierno scientiae medicae statu conformiter in tractando hoc morbo tres adimplendae veniunt indicationes, quarum

I^ma^ causam quantum licet amovere aut saltem in ulteriori actione coercere,

II^da^ mutationem morbosam ex omni parte extinguere,

III^tia^ autem recidivas praecavere et organismi pristinam integritatem restituere jubet.

I.

Ad implendam indicationem primam varia indicata esse possunt.

Prout nimirum causa sita est vel in affectionibus idiopaticis, vel in morbis ad diabetem aut

disponentibus, aut recte excitans momentum sistentibus, vel etiam in potentiis nocivis externis quae diversa ratione plectunt organismum: diversissima quoque non raro sibi invicem opposita remedia ex cuncto medicamentorum penu omni tempore laudata et applicata fuere.

Sic diabetes ex viscerum abdominalium induratione et infarctu ortus fortiter solventia sibi expostulat; uti: remedia kalina; mercurialia; antimonialia; gummiferulacea; Chelidonium majus; Conium maculatum; aqua Laurocerasi etc. Externe autem linimenta, unguenta, emplastra ex medicamentis solventibus composita, balnea saponacea et sulphurica.

In ventriculi et intestinorum atonia et laxitate roborantia, adstringentia, digestionis et reproductionis processum promoventia quadrant: Centaureum; Carduus bened. Colombo, cortex Simarubae; radix. Tormentillae; Lichen islandicus; Gummi kino; Alumen; martialia; cinchonacea etc., merito huc referuntur.

Irritationes primarum viarum ex colluvie gastrica, saburrali, pituitosa, acida, biliosa, verminosa productae et occasionalem ad diabetem causam ponentes modo evacuantibus, modo absorbentibus, modo anthelminticis sedandae sunt, priusquam ad curam diabetis ipsius progrediatur.

Praesentibus calculis renalibus remedia in usum vocanda sunt, quae dolorem irritantem consopiunt, calculos solvunt et eorum productionem ulteriorem impediunt.

Exanthemata florentia et retrocessa, ulcera intempestive clausa, haemorrhagiae criticae aut nor-

males supressae, affectiones arthriticae, hypochondricae, hystericae, rheumaticae juxta curandi principia singulorum horum malorum correspondentia tractari oportet.

Usus ciborum et potulentorum, qui hunc morbum forsan excitaverunt, aut saltem sustentare possent, denegandus.

Influxus denique externi nocivi, inter universales causas enumerati, quantum aegri circumstantiae domesticae concedunt strenue evitandi aut saltem coercendi sunt.

II.

Secundae satisfacturi indicationi, theoriam morbi ab *Haase* propositam in mente volventes, duplex momentum, dynamicum nimirum et chemicum respicere fas erit.

Dynamicae alienationes morbosae consistunt

1. in sublata organorum digerentium et assimilantium energia;
2. in aucta simul iritabilitate et actione renum secretoria.

Quae igitur illam restituunt, has vero effrenes componunt, remedia indicata recte censentur, et discedunt pro agendi ratione in *directe* aut *indidirecte* agentia; quoad atria vero in *externe* aut *interne* applicanda.

Scopo priori roborantia, amara, aromatica, adstringentia, alibi jam emmerata correspondent.

Alterum assequimur scopum remediis modo stimulantibus modo sedantibus.

a. Ad remedia interna, *directe agentia* praeprimis pertinet Opium, a veteribus jam cum Mag-

nesia adhibitum; aut secundum *Rollo* in forma Tincturae cum aequalibus partibus tincturae kalinae mixtum, ex qua mixtione 25 guttae pro dosi praescribuntur.

Huc adhuc referuntur: Pulvis Doveri; Camphora ob virtutem simul diaphoreticam laudata; Digitalis purpurea; Valeriana; Assa foetida a *P. Frank* commendata.

Hic locorum quoque adduci merentur, quae cum virtute quadam consopiente chemicum simul exserunt effectum: Tinc. kalina; Hepar sulphuris kalinum; Ammonium hydrogenatum sulphuratum.

b. Remedia interna, *indirecte* renum irritabilitatem excedentem deprimentia sistunt antimonialia, dein Ipecacuanha in dosi refracta, et ad nauseam ciendam.

P. Frank excedentem urinae secretionem vicaria glandularum salivalium actione ope Mercurii excitanda coercere proposuit.

c. Ad externe applicanda frictiones siccae cutis, aromaticae, usus vestimentorum laneorum in corpore denudato, ballnea aromatica. Porro emplastrum cantharidum in regione lumborum et ossis sacri applicatum, revulsorium et antagonisticum effectum nonnullis exseruit salutarem.

Restat adhuc alterum diabetis momentum, chemicum nimirum rite dignari, quo enim in tractando hoc morbo neglecto, diabetem forsan insipidum, nunquam vero mellitum sanatum fuisse constat.

Chemicae in diabeticis a norma aberrationes complectunt indolem succi gastri et enterici acidam,

ejusque effectum irritantem et oxydantem uti expositum est in aetiologia

Hoc respectu omnis medici attentio eo sit conversa, ut acidum primarum viarum superfluum absorbeatur, oxygeniumque abundans corporibus facile oxygenandis conjungatur.

Tali correspondent scopo: Magnesia pura et carbonica; Kali purum, et carbonicum; aqua calcis; calx viva; amonium carbonicum; carbones praeparati; metalla nonnulla uti ferrum limâtum; cuprum amoniacale.

Inprimis autem sequentia, hydrogenium sulphuratum continentia, quae utroque in therapia nostra postulatui satisfaciunt; consopiendo renum irritabilitatem nimiam et vigentem oxydationis processum coercendo; sunt: *Kalium sulphuratum*, quod a drachma ab initio, sensim ad drachmas duas scandendo de die in aqua destillata solutum adhibetur, et *Ammonium hydrogenatum sulphuratum* seu liquor fumans Boylii, eminentius adhuc datas adimplens indicationes, quod in curando hoc morbo palmam prae ceteris sibi eripuit; applicatur pro dosi ad guttas tres aut quatuor, dosim hanc, si fertur caute augendo.

Prosperum hujus remedii effectum modo post applicationem declarant fames sitisque mitigata, urinae secretio imminuta, recedens urinae quoad colôrem, saporem et odorem ad normam qualitas; evanescens pedetentim morbosus linguae et gingivarum rubor. Minus efficax a medicis recentioribus tinctura cantharidum reperta est.

Haec autem medendi methodus, si expectatum perhibere debeat eventum; remediis diaeteti-

cis congruentibus suffulta sit, oportet. Abstineatur ergo ab omnibus vegetabilibus farinaceis et mucilaginosis, quae difficile assimilanda sacchari formationem promovent. Substantiae potius animales in usum vocentur, ex quibus *Rollo*, optime de cognitione et therapia hujus morbi meritus, sequentia recommendat: carnem pinguem et si digestio fert, suillam, ferinam et rancidam; ova; caseum pinguem, inter pisces salmonem et anguillam.

Pro potu inserviunt lac cum tertia parte aquae calcis; aqua dest. m. p. cum vitellis ovorum; juscula ex carne bovina et ovilla praeparata; si ventriculus perdebilis esset, aqua cum spiritu vini aut vini rubro, lac cum taphia conveniret.

Potulenta quoad licet frigidiuscula summantur, quia frigus forinsecus acceptum ventriculi calorem tollendo non tantum sacchari formationem impedire, sed et ventriculi energiam aliqua ex parte erigere valet.

III.

Tertiae et ultimae indicationi obtemperare studentes, recidivas praecavere nostrum erit, quod fit, si omnes causae disponentes et excitantes sollicile ab aegro reconvalescente arceantur, atque regimen diaeteticum non tantum in salutem somaticam, imo etiam in statum psychicum dirigatur et extendatur.

Auctores, quorum opera consului, sunt: *P. Frank*; *J. Frank*; *A. R. Vogel*; *Reil*; *Rollo*; *Haase*; *Dobson*; *Michaelis*; *Richter*; *Darvin*.

Theses defendendae.

1. Virium justa tractatio sistit momentum gravissimum in Pyretologia.
2. Principium aliquorum medicorum, quod omnis febris ex affectione locali exordiatur, falsum est.
3. Medicus, quo magis practicus, eo rarius errat in diagnosi;
4. Venaesectio in Peripneumonia notha Sydenhami inflammationem non tollit, sed sanguinis circulum liberat, et impedit, ne aeger suffocetur.

Ad puris secretionem explicandam vasa propria, huic muneri dicata supponere, superfluum.

6. Divi Hippocratis verba: „medicus certe non noceat, si prodesse nequit." a chirurgo operatore praeprimis in animo volvenda.
7. Specificum fere remedium contra Diabetem mellitum est victus animalis.
8. Principium saccharinum in diabeticis jam in sanguine contentum.
9. Hepar sulphuris kalinum in angina membranacea, summae dignitatis remedium et in casibus, ubi Hydrargyrum contradictum, Calomelis vices ex omni parte explet.
10. Procul a medicinae sacris sunto profani.
11. Medici ideo, circnmstantibus aut aegro omnium apparitionum rationem ultimam declarandi cupidi medicorum anctoritatem publicam angustant.
12. Versioni in pedes versio in caput ceteris paribus est praeferenda.
13. Operationum chirurgicarum terminaelis eventus minus ab operatione quam individualitate aegri dependet; ideo
14. Prognosis semper anceps statuenda.
15. Iridotomia reliquis pupillam artificialem formandi methodis postponenda rarissimis in casibus exerceatur.
16. Febris lactea non est morbus.